Quaestio medico-chirurgica ... Utrum in inveteratis ulceribus, remediis internis potius quam externis, instituenda curatio? / [Honoré Petiot].

Contributors

Petiot, Honoré (Jean Honoré), 1715-Vernage, Michel-Louis, 1697-1773. Université de Paris.

Publication/Creation

[Parisiis]: [Quillau], [1752]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/qx534f77

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org



DEO OPTIMO MAX. UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, mane discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimo-septimo mensis Februarii, anno M. DCC. LII.

M. MICHAELE-LUDOVICO VERNAGE, Censore Regio, Doctore Medico, Praside.

Utrum in inveteratis ulceribus, remediis internis potius quam externis, instituenda curatio?



UMORUM în calidos & frigidos antiqua distributio horum quatuor constituit species; Phlegmonem scilicet, erisipelas, adema, & schirrum, ad quas omnes alii tumores, quotquot sint , reduci possunt. Id sanè, ut jam in internis affectibus fecimus, (a) externos quoque in classes redu- (a) vide Thecendos esse morbos evinceret. At luculentius nullibi constat, quam im, 411 in ipsâ ulcerum historia; nec utilius, cum inde felicior & securior reducere expel

ulcerum subsequatur eventus. Antiqua porrò debent ulcera in easdem reduci classes diras?

ac morbi interni, si hæc ab iisdem solidorum sluidorumque producantur ac soveantuz vitiis. Eo sic argumento nostra comprobatur conclusio; & quidem si ulcera ab eadem qua morbi interni causa soveri probaverimus, tunc certè remediis potius internis insistendum esse quam externis demonstratum erit.

Ulcus est solutio continui in partibus mollibus cum deperditione substantia, à pure aut si-

mili causa excitata.

Multiplices verò sunt ulcerum species. 1°. Durationis ratione, Recentia, Inveterata. 2°. Indolis respectu, Simplicia, Complicata, Benigna, Maligna. 3°. Puris aut materiæ effusæ respectu, Serosa, seu Rheumatica, Saniosa, Ichorosa, Verminosa, Putrida, Fætida, &c. 4°. Ratione causæ, præter memoratas modò denominationes, Strumosa, Venerea, Scorbutica, Cancrosa dicuntur. Cæteras ulcerum subdivisiones apud egregios qui de Chirurgià scripserunt Medicos quisque legere poterit.

Inter ulcerum causas, internæ sunt aliæ, aliæ externæ. Cum de inveteratis hic tantùm agatur ulceribus ab humorum depravatione sotis, de horum causis solum agemus.

1º. Ulcera dantur quæ à viscidiori sanguine tenaciorique lymphâ soventur.

2°. Alia quæ à sanguine suscitantur cujus partes, nimiam præter spissitudinem, malè sunt elaboratæ, inter se malè permixtæ, præprimis serum sanguinis, quod præcopià vasa quæcumque nimis humectat, & emollit, in quo proinde casu nimia est solidorum laxitas.

3°. Dantur quæ à sicco nimis sanguine & paulò acri, necnon à nimia vasorum

cujuscumque generis tensione & irritabilitate procreantur.

4°. Que à fanguine acriori & aliquatenus corrodente producuntur.

Tandem ulcera dantur que à quopiam foventur viru, inter que contumacia & inveterata sepè sepiùs occurrunt. Juvat autem animadvertere antiqua dari ulcera à generali fluidorum labe nequaquam sota, sed tantum à perversa curatione & per decidentiam antiqua sacta; cum citissime à perito curata suissent Medico. Dantur similiter que ab osseis fragmentis, similibusve suam ducunt pertinaciam, nequaquam autem à sluidorum labe; nam vitio locali reparato, statim vel mox quasi sponte curantur.

I I.

In ulceribus primæ classis nimiā spissitudine sanguineam donari molem, ex ipsopure, ex ipsoulcere, & ex ipsa curandi methodo satis evincitur. Spissius quidem, & tenacius est pus. Parvā datur copiā. Essuit dissicile, ulcerum oris tenaciter adhærens. Nequè interim quantum ad colorem odoremve ullo alio pus contaminari vitio videtur. Carnosæ ulceris mamillares prominentiæ satis non sunt expansiles & teneræ, ut distendi & elongari valeant, nimis verò duræ, sirmæ & compactæ sunt carnes, atque licet benè coloratæ, tamen nonnisi tardigradè erumpunt & procedunt. Duriuscula sunt nimisque compacta ulceris labra, & ut plurimum callosa; undè licet è prima facie neque sordidum, neque mali moris videatur ulcus, obstinatè subsistit. Sæpè sæpiùs nulla sit cicatrix, vel impersecta, inæqualis, tumida, sædam referens faciem, quasi exsiccatum citò suisser potius quam consolidatum, vel ab exsiccante potenter baisamo, absque incarnatione, promptiùs in ipso exortu occlusum suisset.

Præstantiora in eo casu incassum adhibentur topica. Eorum ope licet carnea puncta generentur & ipsum pus aliquatenus corrigatur, momentanea foret restitutio. Subsequentibus enim deligationibus & pus & carnes ejusdem naturæ emergerent; quia sua semper labe inquinatus sanguis, ejusdem indolis materiam puris suppeditat. Ea ergò san-



guinis labes priùs erit emendanda, id est sanguis attenuari & incidi debet. Hunc autem præstant essectum aperientia interiùs assumpta methodicè, nunc pleniori dosi, nunc diluentibus appropriatis ritè sociata; hoc est ad primam classem nostram iste reduci debet æger (a). Instituta sic ulceris curatione, nulla sæpiús alia adhibita opera sponte succedit suppuratio. Ulcus interim lintei fasciola simpliciter obducitur, ut ab aeris am clt. externi impressionibus sit pars immunis. Interdum callositates lapsu temporis spontè evanescunt, sed ut frequentiùs accidit, si internis obsistant remediis, tunc & per externa procedendum. Citò eas ope ferri destruere & rescindere convenientius erit. Quo peracto, naturæ & remediis internis totum committi debet opus, agendo, quantum ad topica, quasi simplex esset ulcus, ipsum singulis diebus una aut altera vice detergendo. Suppurationis enim opus retardant frequentiores deligationes, vel ob aerem, vel ob affrictus & titillationes punctorum carneorum. In hoc itaque casu ulcus abluere melius esset sed molliter & caute ope aquarum thermalium, inter quas præstant aqua baregiana, & bellilucana, aut ipfarum loco, vel rubrum vinum, vel cui ad mediam partem additur aqua, vel ex hyperico, perficarià, aristolochià decoctum simplex, nunc addito melle; vel si carnes aliquantulum emollire opus fuerit, aqua simpliciter tepida utendum. Si autem suppuratorium applicare sit necessum, quod vulgò, digestivum audit, præstantius est; vel quandòque sufficit emplastri de mucilagine applicatio. Si à ferro æger abhorreat, callositatum tentanda resolutio ope aquarum baregianarum sub balnei localis forma vel duchia, vel embrocationis, vel injectionis, quibus aliquando contra omnem spem callositates resolvuntur. Vel mitia tentari possunt corrosiva, ut alumen ustum, præcipitata, &c.

III.

MEMORATAM in secundo casu fluidorum diathesim, in secundæ classis ulceribus adesse, ex ipso non solum ægri habitu, signisque huic classi propriis, (a) sed ex ulcere, & remediorum applicatione statim evincitur. Ulcus enim humidum est, molle, vulgo baveux. Molles sunt carnes, decolores, pallentes, evanida, inaquales, flaccidæ, fungofæ. Subhumida funt ulceris labia, & vix renitentia. Copiofum adest pus, sed inæqualis consistentiæ, serosum magis quam coctum, ita ut serum inæqualiter spissum referat. Edematosa sæpè sunt ulceris confinia. Citò nunc crescunt carnes, sed evanidæ semper & sungosæ; nunc per aliquot dies sine causa evidenti subsistunt. Nunc per dies, fed rarius, fatis vegetum diceres ulcus, spissiori & minus humido pure, vegetioribus tunc pauloque firmis datis carnibus. At in sequentibus deligationibus omnia depravantur. Nunc quidem arescit ulcus, livescit, tunc de aliquali calore acri conqueruntur ægri, & de pruritu. Nunc levissima de causa, aut sponte paulo post hæc mutantur, iterumque ut suprà fit ulcus. In hoc ulcere tædiosam esse detersionem, & nonnisi difficillime cicatrice ulcus obduci constat, que si temporis lapsu siat cicatrix, mollis semper erit, parum firma, levi de causa dilaceranda.

Hoc in casu topica crederes applicanda, ad firmandas carnes molliores, ad superfluas erodendas, & puri consistentiam conciliandi causa. Sed istiusmodi tunc topicorum applicatio temeraria erit & vana; quia etiamfi exoptatus conciliaretur effectus, sponte paulò post ut anteà recrudesceret ulcus. Brevi quidem tempore molles & pallentes evanescerent carnes, imò si siccessere, seque melius habere videretur ulcus, tunc fedulò caveas; alia enim ipfo ulcere periculofiora imminent mala. Ab omni autem topico cautius est abstinere, sed fasciolæ ope ulcus simpliciter obtegere, spontaneam

(a) Vide The-

veluti aliqualem inftituendo detersionem, omnia adstringentia, omnia activa detergentia & exficcantia cautè vitando. Si enim in inveteratis istiusmodi ulceribus cicatrix citò fiat, tunc, non datà portà, in nobiliorem irrueret partem sanguinis excrementum, summoque cum ægri discrimine magis atque magis inquinaretur sanguis. Nil aliud ergo quam medicamina interna præscribendum erit, quibus mitigetur sanguinis labes, tandemque destruatur; hoc est ut in secunda classe tractandus æger, & pari modo, ac si interno afficeretur morbo; putà hydropico. Hinc ei purgantia pluries præscribenda, diaphoretica, sudorifica, diuretica calida inter quæ balneo mariæ præparata juscula, quibus aperientia adduntur appropriata, & potissimum millepedes. Tunc ut ita dicam, negligi quantum ad topica & in oblivionem duci debet ulcus; qua enim proportione sanguinis destruitur labes, eâdem, nullo applicato topico, de die in diem

reviviscit & convalescit ulcus.

Porrò si post methodicum remediorum usum, vel ex ipso ægri habitu, vel ex ulceris facie observaverit Medicus sanguinis immutari diathesim, ad topica tunc devenire poterit, non neglectis interim medicaminibus internis. Præstantiora autem topica ea sunt quæ in prima classe indicavimus, quia remediorum internorum ope è secunda classe in primam partim immutatus fuit æger. Porrò si vitium adhuc locale subsistat, id est si sit vasorum laxitas, ut instituatur promptius detersio & cicatrisatio, ipsaque firma cicatrix enascatur, corrobantia in auxilium advocanda erunt topica, & quæ aliquantulum exliccant, ut sunt aque presertim bellilucane in quibus rubre decoquuntur rose, vel utitur vino meraco, vel ad magis exficcandum aquâ calcis, vel Brianconensis cretæ decocto, vel simili absorbente bolo; at sedulò caveas ne citius exsiccetur ulcus. Ad superfluas fungosasque carnes absumendas levia adhibentur corrosiva. Notari autem interest, curato ulcere, cathartica interdum esse præscribenda, & diuretica ac aperientia. per dies aliquot esse continuanda subsequentibus saltem mensibus; aliquatenus enim. contaminari sanguinem suspicandum est, ac proinde quâ proportione superstes evolvitur labes, ea debet evacuari. Id evincunt ea quæ diximus alias de vi quam sese mul-(a) Vide The- tiplicandi habent miasmata (a), ac de inspissatione & inquinatione sanguinis ab exrus fex rerum crementis. Hinc non sibi considunt clinici, nisi quandò per interna remedia curationem non natura- instituerunt, cæteris vix, aut nullatenus adhibitis.

пиот ревстриа. poffine reduce IAPHA ?

IV.

N tertiæ classis ulceribus pus erit ut in prima classe, sed calidum magis & acre, aliquando non adeo albicans. Aridum nunc ulcus erit. Rubræ sunt carnes nimisque rutilantes, sicce sæpè & nimis tensæ, calidæ, firmæ. Sæpiùs inflammantur ulceris ora & arescunt. Conqueritur æger de ardore, de tensione, de mordaci pruritu per intervalla, de tensivo nunc dolore, nunc pungente, imò interdum, per momenta, lancinante, quando præcipuè, vel animi pathemate, vel alia de causa exagitatur : anxietates sæpè, insomnia, motus spasmodicos, levesque fremitus, imò convulsiones patitur. Si topicis fiat cicatrix, subtumida erit, inæqualis, exsiccatio potius quam incarnatio, que per intervalla acuté dolet, sed lento ut plurimum gradu carnes emergunt; & in cicatricis puncto hiulcum remanet ulcus sæpiùs fistulosum.

Hic ab externis non instituenda est cura, Primò sanguini concilianda est fluxilitas, debent solida laxari, hoc est, agendum erit ut in tertia morborum internorum classe; (b) ergò diluentia, laxantia, & leviter edulcorantia in usum sunt adhibenda; dome-

(8) Vide The-Gm, an morRica nimirum balnea, juscula ex pullis gallinaceis, ex vitulina carne, ex ranarum cruribus, &c. ferum lactis, asininum lac. Pluries & pro viribus ægri instituenda erie venæsectio. Aquarum ope mineralium acidularum purgandus est æger. Ad levia nunc deveniendum narcotica. Topica quidem sunt in eo casu applicanda, sed ea tantum-

modò quæ laxant, emolliunt, & refrigerant.

Nec debet filentio prætermitti, ab ulceris dolore, vel à pruritu dolorifico ita quandoque ægros excruciari, ut omni licet topicorum adhibita specie, anodyno etiam applicato balsamo, vel ipsa laudani adhibita dissolutione, narcoticis interim magna dosi præscriptis, non possit compesci dolor, tantaque à stimulis enascatur febris, ut in ipsa parte sit gangrenæ metus, vel præ doloribus convulsus mox pereat æger. In hoc ancipiti casu, nullum æquè efficax aliud esse remedium, quam in calidis bellilucanis partem immergi, docuit experientia pluries repetita. Summa cum admiratione hunc aliquando observavimus effectum, cujus quidem licet non statim deducatur ratio, (quia è sale marino præsertim , juxtà analysim chemicam, constant aque bellilucane, proindeque incalescens & irritans sint remedium) res quocumque modo fiat, certa nihilominus est observatio.. Primus hoc scripsit illust. Chiracius in suo de vulneribus opere. Id in erysipelatodeo brachii ulcere Monspelii observaverat, quo à pluribus jam mensibus atrociter adeò cruciabatur mulier, ut aliis licet cujuscumque generis applicatis topicis, & assumpto adgrana plura laudano, non posset conciliari somnus, neque dolor compesci, atque biliofum præcipuè propter temperamentum & melancolicum convultionibus afficeretur. Hæc desperata mulier, insciis Medicis & Chirurgis, brachium sponte suâ in aquis bellilucanis ad caloris naturalis gradum calefactis immersit circiter per semihoram, quo balnei tempore, quasi divinitus, pacato indulsit somno. Die sequenti D. D. Chirac & Rideux Medici ordinarii, & D. D. de la Peyronie & Baranci ordinarii Chirurgi, tota facie in meliorem notam mutatum fuisse ulcus omnes mirati funt; unde ægram an aliud quid fecisset interrogantibus, se proprio motu brachium in aquis bellilucanis immersisse respondit. Cum hi præstantissimi Medici & Chirurgi adhucdum hæsitarent, an aquis bellilucanis, an verò narcoticis, inopinatus iste tribuendus esset effectus, ut hâc die & subsequenti nocte abstineret à laudano suadent. At iterum ut præcedentibus diebus, imò crudelius recrudescente dolore, brachii immersionem jubent. Ut præcedenti die successit res, ea sola opera conciliabatur somnus, undè effectum in bellilucanas aquas refundere non dubitarunt; attamen publici juris rem facere noluerunt, quin in alio faltem casu confirmata suisset. *

In quartæ classis ulceribus, cum à cacochymo sanguine foveatur ulcus, anomalas omnes cirpræbet varietates. Nunc est copiosum pus, nunc parcum, sed inæqualis semper consistentiæ. Nunc sub forma spissioris seri, nunc diluti, nunc ichoris, saniei, virulenta gio Monspemagis quam purulentă irrorante materia. Variosque sortitur colores, nunc viride, luteum, nunc variegatum, ferè semper sætidum, ita ut æger ipse & adstantes nauseent & evomant. Prætereà pus mordicans est & acre. Inæquales sunt carnes, subtumidæ in quibusdam punctis & sungosæ, in aliis quasi erosæ, nimis nunc rutilantes, nunc pallidæ, lividæ, fæpiùs & ichorofæ. Ulceris labia nunc inflammantur, nunc livescunt,

fore , accepi-

ş,

* Partem immergendo in aquis, que in oc-1 pescunt, & ut à pluribus ægris fuit nobis relade la Malone, quid simile, sed non ita efficacifica vi gaudent; cum, integro quidem balneo,
citer producitur. Virtute sua ad aquas baregiaplures qui, invitis narcoticis, agrypnia labonas, sed paulò debiliori accedunt. Minus verò rabant, prima post balnea placide dormierint.

tania prostant, quæque nuncupantur les eaux tum, somnum conciliandi propria & quasi speresolvunt, sed magis emolliunt. Dolores com-

nunc durescunt. Confinia erifipelatodea sæpè sunt, & visu horrendum est ulcus. Licet ea cicatrifari videantur ulcera, sponte paulò post, aut levi de causa, sæpiùs iterum recrudescunt; lenta sæpè febre depascitur æger, & in dies misere in tabem ducitur...

6m citat.

Vana magis & temeraria adhuc effet topicorum resolventium & exsiccantium applica-(a) viderhe- tio; sed quæ in tertia & quarta indicavimus classe (a) citò sunt præscribenda. Pro omni vi-Au ad lac, si fieri potest, deveniendum, cui in curationis decursu Judaici aut Canadensis balfami guttulæ aliquot ad consolidandum ulcus addi debent. Curato ulcere lac præcipuè asininum debet continuari. Juscula ex testudinibus confecta hic multum profunt. Cum imbecilles sæpè fint ægri vires, balnea & venæ sectiones cautè adhibeantur Debent applicari topica quæ puris acredinem mitigant, talia sunt decocta ex plantis malvaceis, ex folano, &c. Nutritum ex folani fucco & ex liquore faturnino confectum, variaque plumbi præparata, aquæ Baregianæ & Plomberianæ multum commendantur; quibus si resistat ulcus, à quodam foveri viru, vel à Strumoso, vel à Venereo, vel à Scorbutico suspicandum est. Quo destructo, ut in simplici ulcere agendum est. Si eò usque evehatur acrimonia ut vera sanguinis subsequatur dissolutio, tunc simili

modo agendum,

Hæc enim sanguinis partium dissolutio vel ab ipså generali fluidorum acrimonia, vel à miasmatis purulentis sanguineam intrà massam absorptis exoritur; unde tenues abraduntur & confumuntur mucilaginolæ fanguinis partes, quibus debita hujusce fluidi servatur confistentia; vel harum defectu, satis flexiles & plicatiles non funt sanguinis præsertimque chyli partes, ut in hanc, vel in aliam molem sese musuò adunent. Similem aliquandò veram dari dissolutionem non negaverimus; cùm miasmatica labe sanguis inquinari possit, qua verè in alias minores resolvatur moleculas; cum similes à menstruis solutiones nobis passim objiciat chemia; cumque reverà, in pluribus variolarum speciebus sanguinem dissolvi, ut & in colliquativis morbis, jamdudum peritissimi existiment Clinici. Sed notandum spuriam sæpè disfolutionem pro vera accipi, noc est partium assimilationis defectum; in quo quidem casu, totus fermè sub laticis aquei forma sanguis apparet. Nam, ut alibi diximus, tunc hæmatoseos est defectus, non à sanguinis partium acredine, sed à debiliori vasorum oscillatione, ac proinde in serosum laticem, nedum in verum sanguinem totus ferè mutatur chylus, ut in Chloreticis & Hydropicis observare datur. Id debet eò lubentiùs observari, quòd dum à tali pseudo-dissolutione pendent ulcera, non ut in quarta classe, sed ut in secunda tractari debeant; tunc enim per corroborantia, non verò per diluentia opitulandum erit.

part. r. lib. ulceribus pag-

"Denique dici vix potest, inquit Heisterus, (a) quantum ad implenda & glun tinanda ulcera proficere solet prudens vitæ victusque ratio; observatum enim jam » pridem ab artis salutaris Professoribus est, ejus beneficio pessima quandoque ulcera " fine aliis ferè remediis sæpè sanata fuisse, contrà verò sine ipsa, vel levissima » etiam ulcera in pessima, imò in vitium aliquod insanabile, haud rarò degenerasse. » Igitur cavendum solertissime semper est, ne dum ab ulceribus aliquis infestatur. " cibos acriores falfos, acidos, nimis pingues, aut calefacientes, fuillos, digestu », difficiliores, vel nimios etiam adfumat ... quod fi autem malus forte corporis habitus » obstare videtur quominus sanescere ulcus aliquod possir, in consilium utique ad-» hiberi Medicus aliquis prudens debet, qui per adhibita medicamenta interna vi-» tio illi contrario opportune provideat, ne ulcera mitiora in pejora; vel penitus » quoque infanabilia transeant, sed ut potius curatio horum aptique victus benesa ficio, quantum fieri possit, promoveatur,

E X prædictis patet 1°. Quam perperam per sola externa tentetur ulcerum curatio. Nam præterquamquod sæpiùs sit vana hæc agendi ratio, si sortè sanescant ulcera, periculosiora mox subsequentur pathemata, affectus putà soporosi, phthisis, motus convulsivi in ipso sæpè exsiccationis momento excitati, qui è medio tollunt ægrum. Ideò de veterum ulcerum curatione non gloriantur clinici, nisi pluribus jam elapsis mensibus. Patet 2°. Complures morbos excitari lethales, qui quidem ab ulceribus intempestivè sanatis ortum habent; hinc in arte magistri iterum excitare ulcera, vel admoto cauterio ad cutim attrahere labem omni tunc ope tentant. Non objiciatur nostram juxtà methodum tar \(\text{2}\) us ulcera curari, quæ topicorum ope citius curari possunt. Respondeo quidem 1°. Per interna sæpiùs quam per externa promptius hæc curari ulcera; 2°. Tutò semper per interna & sine recidiva.

At inquies, licet generalis sit labes, potest depurari sanguis vegetà & abundanti institutà suppuratione, & eò quidem faciliùs quòd aliqualis sit analogia inter pus ulceris, & inter partes puris quæ sanguini immiscentur, & quia simile quid in suppurationibus criticis occurrit. Respondeo hoc reverà concipi, & in hunc sinem sæpè copiosam per topica institutam suisse suppurationem; sed quàm rarò selix suerit eventus palàm constat, dum interna neglecta suerunt remedia.; tunc imò in tabem sæpè ducitur æger; prætereà si eo modo curare Medicus intendat, interna sanè multum prosunt remedia.

Sunt quidem qui ad ulcera inveterata, & ad curandos tumores, corrosivorum applicationem ut per se efficacem suadent & adhibent. Sed ne quid nimis! Præterquàm enim quòd talis aliquandò usus tumorem in cancrum, vel in carcinomatodea mutet ulcera, doloribus ita sæpè excruciat ægros, ut in lentas decidant sebres. Prætereà dum ægros curasse putant, aliquot post menses apertà cicatrice recrudescit ulcus, vel in alià parte, vel sactà in viscera metastasi, periculosior exoritur morbus, nisi adhibitis internis præcaveatur remediis. In omni tamen casu corrosivorum, applicationem absolute noluerimus damnare, cum nobis corrosiva præstare possit chemia, quæ non ita ægros excrucient, quæque quasi specificè dicantur operari: sed tot & tantoperè decantatis non indulgeamus arcat nis, non leviterque Medicina considat, nisi prudens & sagax hæc administre-Medicus.

At instas, per interna sæpè non curantur ulcera, ac proindè resorpto in masfam sanguineam pure, magis ac magis inquinatur.... Scrupulosè vitandum ne ulcus cicatrisetur, dum labes nondùm destruitur, sed apertum ulcus servare tutius est; id enim abstergendo, si non omnino, ex maxima saltem parte puris præcavetur

absorptio.

In fistulosis saltem ulceribus, inquies, topica in usum vocari debent... Hoc in ipso casu ab internis semper inchoandum remediis, saltem quantum ægri permittit status a posteà enim ad topica vel ad operationem tutiùs devenitur; alioquin quantum cumquè bellè instituatur operatio, ad tumulum sæpè promptius ægrum duci observare est. Quoad autem ulcera quæ à locali simpliciter vitio soventur, nullà datà labe, interna aliquantulum continuata remedia haud sanè nocent, denique per externa opitulandum, sed semper caveas, nam ut plurimum à labe sovetur ulcus quod in inveteratum jam degeneravit, & in quo evidentes & manisestæ non deteguntur causæ; unde prudentius erit concludere a

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus-Gabriel Dupré. M. Pascasius Borie.

M. Joannes-Baptista-Thomas Martineng, Exdecanus & Academia Censor.

M. Antonius Petit, in Matronarum gratiam Anatotomes & Artis Obstetricia Prosessor, nec non Chirurgia Prosessor designatus. M. Florentius-Carolus Bellot, M. Franciscus Pousse.

Scholarum Professor.

M. Stephanus Pourfour du M. Ludovicus Pathiet.

M. Camillus Falconet, Salubris Consilii Regii Socius, & è Regià Numismatum Academià.

Proponebat Parisiis HONORATUS PETIOT, Sabulenensis, Doctor Medicus Monspeliensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Author, A. R. S. H. 1752, A SEXTA AD MERIDIEM.

althen suchano Cragother Water liber : increça handania

to be an independent of the contraction of the cont

a lavegour sing one of mother to them we continue one if companies mineral

grant is cochern that, tebiland ambibeld supretical man a sid

televisione alayene, incomis parin man extent equality inflation in the continue of the continue of